

prædictis communicavit. Hæc Sixtus. 5. prædicto Ordine.

¶ Que communicatio quàm magna sit patet intuenti. Per eam enim privilegia omnia concessa vni, aut quibusdam Monasteriis Ordinis Diui Hieronymi extendit ad omnia et singula Monasteria eiusdem Ordinis tam virorum quàm mulierum: quibus in specie concessa non sunt, et in quibus aliæ cause concessionis, et indultorum prædictorum, alias quam præfertur, suberant. Que concessio est maxima. Ex qua colligitur, quod in isto Ordine fit communicatio privilegiorum non solum generaliter concessorum congregationibus, et personis et locis congregationum, sed etiam Monasteriis particularibus. Ita quod privilegium concessum cuidam particulari Monasterio alteri, & singulis, et omnibus eiusdem Ordinis Monasteriis fiat commune, quanuis ipsis in specie concessa non sint: et in quibus aliæ cause concessionum, et indultorum prædictorum alias suberant. Omnes igitur Ordines Mendicantes, & non Mendicantes, quibus ex indultis Apostolicis concessum est omnium aliorum Ordinum vti et gaudere privilegiis quibuscumq; hoc gaudent